

HACHO REX SVEONVM.



HACHO filius fuit Amundi regis Sueonū. Hic uiuente adhuc patre, res magnificas gesit, quas alij eius ætatis proceres potius admirari quam imitaris valuerunt: Omnem enim regni solicitudinem suscipiens, fratribus maris littora commenda uit, ipse uero Occidentalibus Oceani Insulis bellū intulit. Cum aut postea percepisset duos fratres à Danis nauali prælio oppressos, totius exercitus sui robur ex Hybernia in Danos conuertere properauit. In ea profectiōne multi militum metu percussi ab eo recesserunt. Verum ipse cū reliquis pergens, Sigarum Danorū regem interfecit, atq; Daniam sibi tributariā reddidit. Postea patri in regno Sueonum successit, & res multas magna dexteritate peregit, anno 250. Cum in eo loco per aliquot annos feliciter præfuisset, obiit, & Ingōrem successorem accepit. Ioan. Mag. lib. 7. cap. 7.